



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Decennium Apostolicum S. Francisci Xaverii Indiarum II.
Japoniarum I. Apostoli**


Nevhvsii

urn:nbn:de:hbz:466:1-37272


Th
2494




Th. 2494.



G






DECENNIUM APOSTOLICUM
S. FRANCISCI
XAVERII
INDIARUM II.
JAPONIARUM I.
APOSTOLI.

Quondam in Oriente plus quàm decem decadibus,
ceu centuplicatis laboris decennalis fructibus,
exactum;

Nunc pio conatu, ac demisso affectu,
Pro decendiali DIVI Cultu

Compendio propositum

Arm. Capucci Paderbornensis
Reo Cliente Societatis JESU.



NEUHUSII,
Imprimebat Joannes Todt, Typographus Aulicus
suae Celsitudinis Paderborn.

S. Franciscus Xaverius.

Bonis operibus plenus, cum ei benedictionem Patriarche Abrahæ Dominus Spiritualiter elargitus esset, ut multarum Gentium pater efficeretur; & filios, quos Christo genuerat, super stellas cali, & super arenam, quæ est in litore Maris, multiplicatos videret, & ex eis plurimos proprio sanguine Laureatos ad caelestia regna premisset, Orientalium Indiarum Apostolus ab universis India regnis totoq; orbe Christiano appellatus ... ad caelestem gloriam perpetuo cum Deo regnaturus evolavit &c. Urbanus VIII, In Bullâ Canoniz.



Francisce! fructuosissimum
Apostolici decennii tui compendium
in compendium contraho
multis tibi titulis reus

Cliens.

Sed vereri possum, ne amplius fiam reus
hoc dispendio:

Quid enim ago, nisi quod detrahā brevitate
immensis laboribus studiisq; tuis;
quibus

Intra decennium plures addidisti Ecclesiæ;
quàm à tot seculis omnes ab eā
abstraxere hæretici,

Omnes imperio aggregârunt suo veteres
Romani & Græci? *Gregor. XV.*

Sed reus sim, modò Tibi, cui obnoxium esse
est summa votorum.

Præcludunt Apostolico Decennio
Decem omina.

Non fortuita est in Apostolicam missionem
electio Tui, ô Xaveri.

Nam

I. Nasceris, devias in viam salutis

A 2

reductu-

reducturus Indias,
 cùm de via Indias primus reperit
 Vascus Gama, anno salutis MCCCCXCVII.

Et nunquid omen est?

II. Ad ardua vis^o Tibi Tu^o Te animat S. Hier.
 nunquid toleranda in Indiis?

III. Harum futurum te Apostolum
 Tua Vaticinatur soror Gandiæ:

IV. Prælundunt, & visus dormientis lacertos
 premere Maurus,

&

V. Ingens objicere se periculorum,
 difficultatumq; inter Barbaros,
 quam perumpere, silva.

VI. Et venturum te multò antè prædixit
 ad crucem suam Thomas tuus Apostolus.

VII. Atq; ut reservarêre à morte,
 mirabili supra naturam curatione lumborum
 servatus es.

VIII. Ut ipsum comparares Te, prælusisti
 Indiis in Italiâ,
 penè laborans plus omnibus.

IX. Et triumphasti Te in exsugendâ fanie,
 magno futurarû inter fœdos Antropophagos
 victoriarum rudimento.

Et demum

X. Dispo-



X. Dispositione admirabili, nec prævisâ
hominibus, à Deo provisâ,
Bobadillæ es surrogatus.
Nihil hic sine Numine Divûm.

Decennii Apostolici Ann^o primus.
Christi M D X L I I.
Xaverii XL V.

T Andem exscendimus tecum in anhelatam
tot votis Indiam, Apostolice Viator, & ter-
ram speciosis Evangelizantis pedibus calcatam,
rigatam sudore, lacrymis ac sanguine perfusam
osculamur; terram, quæ immensis Tuis per De-
cennium culta laboribus flores dabit & fructus,
atq; ideo in Majo appellis, ut dicere jam Goa possit,
imo Oriens: flores apparuerunt in terra nostrâ,
terrâ spinis Idololatriæ aliorumque scelerum op-
pletâ, flores, qui in fructus uberrimos mature-
scent; & si flores non essent alii, Tu certe florem te
das novo huic plantario, Innocentiâ candidè, rubi-
cunde recenti pro Virginitate sanguine Xaveri.

At ecce hic primum incipis expeditionis Tuæ
Annum, Generose Christi Miles, oppugnationem
ordiris, non nisi Decennio cum veteris Trojæ



*expugnatione terminandam. Ac prima quidem
velitatio à demissione est, quando & Apostolicus
Nuntius Te ad genua Goani adsternis Episcopi, &
in valetudinario publico stationem deligis, & ab
infirmorum servitio Tibi robur conquiris, & se-
minarium novitiae juventutis Tecum aliquando
militaturæ è Malabaribus, Ceilanis, Bengalensi-
bus, Peguanis, Malacensibus, Abyssinis, confinium-
que barbarorum adolescentia instruis, & assultu
facto Idola Idolorumque stativa occupas, incendis,
evertis. O fausta pugnae auspicia magne pugil! ad-
mitte nos in belli societatem, & si tantis tam re-
motis expeditionibus aut indigni sumus aut im-
pares, contra domesticos saltem hostes viriliter de-
pugnemus.*

Decem Apostolicæ,
Decennalis Apostolici Xaverij,
Virtutes.

- I. Demissionem Francisci sacri loquuntur
- II. Patientiam hostes impii. (Præsides.
- III. Charitatem miseri.
- IV. Peccatores suaviter.
- V. Virginitatem Barbari.

VI. Pru-

- VI. Prudentiam Lusitani.
- VII. Fiduciam socii.
- VIII. Magnanimitatem maria & pericula,
- IX. Zelum regna & Insulæ;
- X. Amorem Cælites & Deus.

Testatiora sunt omnium, quàm ut narrentur,
Argumenta.

Atq; hæc decem Virtutes Tuæ decem illa Linea sunt,
per quas in salutem Gentium reduceris
ab Occidente in Orientem sol orbis, Xaveri.

4 Reg. 20. Isa. 38.

Annus secundus.

Christi M D X L I I I.

Xaverii XLVI.

Vindemia hoc anno felix est, quando Octobri
mense in Piscariam pergis Xaveri, non tam
piscis aut uniones è mari, quàm è vineis botros le-
cturus. Sic laboras Pater sancte (idenim modo
nomen acquiris) inter Paravos, sudas in Comori-
no, concursas in Punicali, pagos integros undâ sa-
lutari eluis, decertas in Pagodes, Brachmanes tri-
umphas, & vel abjectissimâ Tui demissione, vel
gloriosâ mortuorum trium suscitatione, in im-

mensum promoves (seu per te seu per parvulos Tuos) rem christianam. Fac nos in aliquam uberris Vindemia partem, certè in Europa, venire.

Decē Apostoli Xaverii prærogative.

Vir sanctus

Audis vel inter sacrilegos & barbaros
Francisce;
certè sanctus, sanctorum penè omnium
gradus amplexus.

- I. *Angelus* moribus & vitâ es,
terrenæ nil fecis habens.
- II. *Patriarcha*, populi Dei & pater & rector.
- III. *Propheta*, cum dono, tū præfago spiritu.
- IV. *Apostolus*, merito & dignitate.
- V. *Jesu & Ignatii Tui discipulus*.
- VI. *Gentium Doctor* potens opere & sermone.


Jam verò

ardens pro Christo patiendi desiderium

- VII. facit Martyrem.
- VIII. *Confessorem* virtus; ac vitæ professio :
- IX. *Sacerdotem* ordo & pontificia potestas;
Illibata corgoris animiq; integritas
- X. *Virginem* coronat.

Quidni ergo *Patrem sanctum*
Te vel Barbaria veneratur?
quidni veriùs glorière Tu,

quàm



quàm Israël:

Decem partibus major ego sum?

2 Reg. 19.

Annus Tertius.

Christi M D X L I V.

Xaverii XLVII.

FRANCISCE hic pastoralis cura annus est, quando
tuum rursus visitas gregem ad maris littora,
tum contra irruentes lupos Badagos defendis, di-
persum colligis, afflictum conquisitis undique sub-
sidijs foves inter Tutucurinenses scopulos; profe-
cto etiam adversario Tuo spoliato atque egenti
subvenis charitate: subinde ovili capita addis non
pauciora decem millibus lasso per frequentem ba-
ptismum brachio. Excursione etiam in Machoas
Saracenosque factâ, Tranvancoridem universam
in mandros Christi colligis. Totum interim bar-
barorum exercitum uno vultu tuo percellis; Mar-
tyrum tamen etiam primitias (Patruo pago inte-
gro à te converso, tum pro fide vera macerato)
transmittis in cælum. Hic quoque illud boni pa-
storis enitet specimen, cum ad molliendum perti-
nacem militem impaëtis in insons tergum Tuum
immanibus flagris sanguinem prolicis, generosus

A 5

inter

inter palmas expugnata duritia triumphator. Adamantina nunc quoque Magne Pater (& hoc Tibi iterum nomen accedit) corda, vel sudoris vel sanguinis Tui merito emolli !

Decem Magnitudinis Xaverianæ,
in prodigiis excellentiæ.

Magnum Patrem conclamant Te
Scopuli & littora, Xaveri;

Hęc magnitudo virtutis est. s. Ambr. in Luc.

I. Magnū fugati prædicāt morbi & dæmones
per Nosocomia;

II. Magnum deserta variis eodem tempore
idiomatis resonantia, vōcali Echone referūt.

III. Magnum eundem replicatum duobus in
locis stupent navigia;

IV. Vaticinia, occultorumq̄;

& absentium oracula loquuntur magnum;

V. Magnum, imo Giganteum, stupenda facit
de terrâ sublevatio ac sublimitas.

VI. Magnū in frenandis tempestatibus maria;

VII. Aër in ciendâ lapidū cinerumq̄; pluviâ;


VIII. In sistēdo sole, ad Josuæū exēplū, polus;

IX. Terra in reddendis

(ad quod Vi Tua cogitur)

Viginti quatuor mortuis, magnum suspicit;

X. ma-



X. Magnum denique nos,
& vel maximum in Xaverio vivo mortuoq;
Te Xaverium veneramur.

Hæ excellentiæ, *Bases illæ decem sunt,*
decennalis apostolatûs magni
sustentatrices. 3 Reg. 7.

Annus quartus.
Christi M D X L V.
Xaverij XLVIII.

IN Cinnamomi messem gemmarumque piscatu-
ram evocat Te, Apostolice Zelator, dives utroq;
Ceilanus; ubi ex itinere ad Proto-Apostoli Tui
Thomæ monumentum peregrinantis more conten-
dis, novos è sacris cineribus ignes lecturus. Et
verò hi adeo Tuo Te agglutinasse videntur Colle-
ga, ut noctes integras ad Thomæ aut Mariæ aram
adhaerescens, neque ineptis dæmonum interpella-
tionibus, neque plagis crudelibus posses avelli. Ma-
lacam subinde depravatam penitus, & verbis &
factis admirandis reformas, quam sub solis occa-
sum obiens incolas nolâ excitatos pro exoranda
animarum purgantium lethaliter ve peccantium
salute admones solenni carmine.

Memo-



*Memorable vidit quoque annus hic, cum insequen-
tium tela manusque barbarorum declinanti
arbor bene magna cedit; hic annus idem Te ma-
ris & mortis contemptorem, ventorum domi-
num, hic noctes integras inter preces excubantem,
hic coram sacratissimâ Eucharistia saxo indormi-
scentem, & animas somniantem, hic Macazaria
adeunda perpetes curas volventem traduxit. O
tuorum nos fac participes desideriorum laborum-
que, indefesse Xaveri!*

Decem Apostolici zeli artes
ab apostolico Xaverio
per decennium & usurpatæ
& traditæ Collegis.

Primum submittit hoc anno, Tibi
Europa subsidium, Francisce;

Cui hunc Tu primum scribis decalogum.

- I. In Xenodochio diversantor operarii,
ut in demissionis charitatisq; palæstrâ.
- II. Nullus infantium baptismus negligitor;
ut hi saltem cælum repleant,
futuri pro adultis popularibus advocati.
- III. Pueritiæ catechesis prima curarum esto,
ambitiosissimo studio digna occupatio.
- IV. Idolis Juranto excidium.

V. Pel-

- V. Pellaci ad sacramēta studeatur industriæ.
 VI. Peccatores materna expugnet suavitas.
 VII. Animorū cura & liberalis sit & gratuita.
 VIII. Labores charitas condiat & oratio.
 IX. Excitet ad ardua, ab indignis revocet
 vocationis memoria.
 X. Crebrum deniq; litterarum commerciū
 membra capiti, Europæ Asiam conjungat.
 Ecce operarii apostolici!
 Apostolus Xaverius ostendit vobis pactum
 quod præcepit ut faceretis, & ~~decens~~ verba,
 quæ scripsit in Tabulis. Deut. 4.

Annus quintus.

Christi M D X L V I.

Xaverii X L I X.

Hucusque Amboinus anni hujus libat primi-
 tias, ubi irrequietus apostolicis sudas labori-
 bus, Xaveri, & indefessâ ferves in advectam illuc
 sub Ferdinando Sosa egram classem charitate. Hic
 Tuum Tibi Jesum mari placando immissum reddit
 Cancer marinus. Tum Molucas, ut aromatis ita
 vitii fertiles, & Ternatem in primis Insularum
 caput purgare suavi illâ Tuâ efficacîâ insistis, &
 magnum

*magnum auferis laboris fructum Isabellam Molu-
carum Reginam Christo vendicatam. Mox ad
Mauricam, cui omnia pene absunt vitæ subsidia,
adsunt pericula & incommoda omnia, à terra, cæ-
lo, feris, hominibus, invictâ ac pertinace constan-
tiâ eluctaris, Deo subigis prope demonas, atque in
una Tolo millia capitum viginti quinque unus orci
eripis potestati: liquidissimis interim in regione
incultissimâ, si unquam aliàs celo sese super infun-
dente, delitiis redundans, ut vel hinc insulas has
ad perdendam ex jucunda lacrymarum ubertate
oculorum aciem appositas assereres. O vel guttam
effluentis Tuae voluptatis in pumices nos & saxa,
in terram desertam & aridam & inaquosam
deriva!*

Decem Reges Decennii Apostolici labore
per *Xaverium*

Christo Regum Regi subjecti.

Reges expugnare incipis anno hoc,

Regii sanguinis Apostole:

I. Agmen Isabella ducit Molucarum Regina
(nam ut in miseriam pravi, ita boni in salutem
exempli dux est fœmina)

II. Sequitur subin Rex Maurus Travancoris;

III. IV. Et gemini gentiles Ceilani Reges;

V. VI. Re-

V. VI. Reges Nuliagri etiam & Ulates

Barthol. in vitâ l. 4. n. 65.

Vicinarum Amboino insularum Domini.

VII. Tum Maldivarum

(insulæ sunt undecies mille)

Rex Mahometanus, Manuelis à Te insignitus
nomine.

VIII. Celebis præterea Rex,

cum fratre Principe, labor tuus est.

IX. Tuus est labor rex Tanoris

ac Rosolai Tyrannus:

hic Francisci à Te, ille à Lusitano Rege Joaõnis
est nomen mutuatus.

Atque ut tot regum non memorem conse-

ctarios, *aut Conjuges, aut liberos, aut clientes*

purpuratos.

X. Tuus est Franciscus ille Bungi Rex,

Ille pientissimus, Japonicæ Ecclesiæ

basis & columen,

quem vivens disponis, mortuus permoves

(post tres annorum decades)

ad Christi religionem.

An temerarius ero,

si dixero hæc decem cornua,

Qui decem reges sunt?

Dan. 7.

ANNUS



Annus sextus.

Christi M D X L V I I.

Xaverii L.

Iubileus ætatis Tuæ hic annus est, Xaveri (ætatis
quam India optandum foret esse immortalæ)
sed quem admirabilis Zeli Tui vindiciis divina
ultio inicit, quando rebellem Deo & Lusitanore-
gi Tolum terra concussio, ædium ruina, cinerum
tempestas, & conflagratio percellit, percussæ Lusit-
anus victor miles superincumbit. Nimirum Tu
alter Moyses concilias opem cum hoste perfido bel-
lantibus, ut, cujus expeditionis vates ac fautor fue-
ras, præcipuus esses quoq; adiutor. Subinde Goam
relegens animo, transiens Amboino, paternæ repetis
in valentium atq; infirmorum corpora & animos
officia, indeq; velut à Mileto Paulus, inter omni-
um complorationes divulsus, Malacam pari repa-
randam à Te uno (cui decem non suffecissent alii)
studio transis, occulta atq; absentia in Duro acta
cognoscis. Nobili demum illa contra Acenos Chri-
stiani nominis. Hostes victoria (per obstantia om-
nia magnanimitate invictâ eluctatus) inclarescis,
cum in Perlensi amne, sub Duce Francisco Saa, præ-
sago



*Sago Tuo hortatu atque auspicio, 5000 barbaris,
Turcis, Gentilibus opponi christianos 200, navigiis
sexcentis biremes sex committi, & tuis precibus,
lacrymis, suspirijs triumphare sese ex integro gra-
tulata est Malaca. Tu modo è celo robur nostris
terrâ marique exercitibus in pares christianorum
hostes suffice, fortissime Xaveri !*

Decem urbes Orientis Principes,
Apostolico Xaverii decennio
Illustres.

I. Admonet me Urbs Malaca, experta
Tuam, *Francisce*, manû in Deo omnipotentē,
Urbium per Orientem reliquarum,
queis imprimis consuluisti
Magne Orbis Civis,
& Apostole decennis.

II. Subit hinc Tuis culta laboribus,
Tuo dives corpore Goa Indiæ Metropolis.
Inde Tuis incalescens votis ardentibus

III. Meliapura;

IV. Tuis beata colonis Armuzia;

V. Felix subsidiis Tuis Cocinum;

VI. Tuis Ternate reformata studiis incre-
(dibilibus;

VII. Tuis pressa primitùs istinc Cangoxima
vestigijs.

B

VIII. Ri-

VIII. Rigatum sudoribus Amangucium
 IX. Sanguine Meacus infusa,
 X. Vindiciis Zeli Tui Tulus perterrefacta :
 Quidni accinam Tibi :
 Euge serve bone, quia in modico fuisti fidelis,
 eris potestatem habens
 super decem civitates ? Luc. 19. v. 17.

Annus septimus.

Christi M D X L V I I I.

Xaverii L I.

Prima jacit annus hic messis Japonicae semina,
 cum Dei planè manu ducitur ad Te, Magne
 Apostole, eà ab insulâ Anger, cujus Tibi indoles &
 genius animum gentis univèrsæ Christo adducen-
 da injicit. Goam igitur Malacâ meditaris, Japoni
 Te comparaturus. Ex itinere revisens interim
 Comorinos primogenitos in Christo Tuos, tum Co-
 cinenses ac Cranganorios benefaciendo transiens,
 Goæ velut communis omnium parens exciperis.
 Hic illa admirabilis diei integræ Tibi te rapit ec-
 stasis, hîc crudele istud in tergum immerens alienis
 pro sceleribus supplicium. Hinc brevis in Camba-
 jam excursus. Hinc ablegatio subsidiarij opera-
 rum



*rum manipuli in omnes propè Orientis regiones,
 & Gasparis Barzei Tui in Armuziam orbis gem-
 mam fortunatissima destinatio. Mox aggregato
 per expiatorias undas in sinum Ecclesie Angere,
 nunc Paulo, expeditionem Japonicam contra gra-
 vissimas omnium dehortationes, periculorum &
 mortis magnanime contemptor, ingrederis. O vi-
 dete insula, & attendite populi de longe adveni-
 entem saluti vestra Apostolum.*

Decem Orientis Insulæ,
 Apostolico Xaverii decennio
 celebratiores.

Audivit hanc Dei Vocem

(cui vocem virtutis dedit Dominus) Ps. 67.

- I. Mozambicus in valetudinariis ;
 - II. Socotora in triviis ;
 - III. In littoribus Piscaria.
 - IV. Audivit inter scopulos Manaria ;
 - V. Inter populos Ceilanus ;
 - VI. Maurica inter barbaros.
 - VII. Audiêre Jesum & hunc crucifixum
 prædicantem Molucæ,
 - VIII. IX. Maldiviæ, Japoniæq;.
 - X. Sancianus demum.
- supremos inter mortis agones,

inflammata eructantem suspiria
audivit.

Annus octavus.

Christi M D X L I X.

Xaverii L I I.

A Prilis mare aperit Tibi in exoptatam Japo-
niam Tuam, ô major orbe anime, Xaveri!
Tum enim Goâ Malacam versus navi progredere,
in hac consuetis utere artibus Tuis ad conciliandos
Deo Vectores; hæc cum aquantibus exscendens, ad
fontem Tuum Jesum sitiens properas, cum mente à
sensibus abstractâ Deum pateris, uberrimâ cæli
scaturigine inter deserta hæc littora in pectus Tu-
um exundante. Malacæ dein modicum temporis,
multum ponis operæ, scelerato non uni salutaris.
At mox desiderii, quo ardes Japoniam, impatien-
tem piratica Sine Latronis juncus excipit die Bap-
tistæ Ioanni sacro, qui ad initiandos baptismopu-
pulos, orbis fere ultimos festinas, & subin nautis,
Navarcho, Tartaroque invitis, festâ assumpta Dei
parentis Luce (magis tantâ Præside ac Cynosurâ,
quàm Vento tempestate, atq; homine faventibus)
Cangoximæ exponit. O Iaponia! felix Iaponia, si
cognoscas



cognoscas & tu, & quidem in hac visitationis tue die, quis tibi Vir veniat, Vir Oriens ab ultimo Occidente; cui cum Oriente Occidens nimis est angustus. At Tu mox, Apostole, & nova strictioriq; abstinentiæ corpus, & vernaculo gentis idioma & linguam assuefacis, gemino ad insinuandum aptius Christum adjumento, cui quantum Thaumaturga illa vis Tua Leprosi mundatrix, suscitatrixque mortuæ puellæ suffragatur: sed dum Tu hoc sudore rigas Cangoximam, sanguine primus de Societate Tua, tam Tibi amata, rigat Indiam, in Comorino, Antonius Criminalis Tuus, Barbaris Badagarum hastis bonus pro grege pastor confossus, succidanea inflammatis Tuis ad Martyrium desideriiis victima; rubens aurora, prænuntia sanguinea illius tempestatis è tot per Indiam, perque Japoniam de Societate pro fide mactatorum cædibus coalitura.

Decem in Oriente Martyres
de Societate Jesu, è Xaverii
potissimum alumnatu & clientelâ
illam ad palmam provecti.

Omniùm post Te seu in India,
seu Japonia, seu Oriente toto
pro Christo cæsorùm Pater es,
Xaveri.

Purpuram omnes & palmam
ad pedes Tuos deferunt,
qui viam primus ad pugnam aperuisti.

At specialius Decas Tua est,
E disciplina clientelaq; Tua profecta
Te coronæ suæ fabrum primipilus
agnoscit Antonius Criminalis
(Vir sine crimine)

- I. Comorinum sudore prius 1549.
post sanguine fœcundans.
- II. Adsternit adorem Nunnus Riberus,
Molucense venenum expertus; 1549.
Eodem penè, quo prior Badagarum hastas,
tempore,
Te mittente beatum martyrii unionem.
- III. Legit in Piscaria Ludovic^o Mendi^o, 1552.
barbarorum ferro obtruncatus.
- IV. Te auspice lapides Salfettanorū in coronæ
V. suæ gemmas aptârunt bini
sodales Tui anonymi. 1554.
- VI. Et ferrum vertit in diadema
Henrici Tui in Comorino socius. 1555.
Tibi debere se laurum confitetur
- VII. destinatus à Te in Molucas (ubi à Maho-
metanis periit,) peregrinationis 1558.
Tuæ comes Alphonus à Castro.

Ad



Ad Te

quem, baptizato in Japonia impressisti
spiritum,

per lentos prius ignis probatum
VIII. Refert Leonardus Kimura, 1619.

Nangasachi pro Jesu exustus.

& Leonardi Nepos

primus è Japonibus sacerdos.

IX. Sebastianus itidem Kimura
ibidem in igne Dei Holocaustum, 1622.

Cum Heroë illo Carolo Spinola.

Tuus deniq; ante omnes, post omnes,
omni titulo Tuus est, admirabilis ille

Marcellus Franciscus Mastrillus;

X. Fuso, post crudelissimam aquæ infusionē,
quatrduanam in scrobe suspensionem,

capitisq; Truncationem, sanguine,

quod ei impetrâras, gloriosus,

Indicus, Japonicus, Xaverianus. 1637.

Davidem hic Te dixero Francisce, in hoc

Psalterio

Decem chordarum (ad equuleos tensarum,

Pectinibus & ferro iëtarum) Psal. 12.

Martyrum Regi psallentem.

Annus



Annus nonus.

Christi M D L.

Xaverii L I I I.

Qui jubileus Romæ annus est, idem Iaponia, quam ad Romana tum sacra, Zelator Xaverii, aggregare contendis, aureâ illi salutis portâ reseratâ: & ingrediuntur mox intra breve tempus Cangoximæ octingenti; Firandi in Ximo plures multò, tempore haud multò breviorè. Hinc pererras Amangucium, & loci Regem tentas. Meacum inde contendis, factus vel equiti barbaro famulus, & contendis ærumnosis itineribus per obstantes nives, Vepres, lapides, laceratis (sine doloris sensu, quem ardens charitas abstulerat) pedibus, emaciatus inediâ, in fatui morem illusus atque exagitatus, fructu, eheu! in obdurata civitate nullo. Te dein annus hic rursus Amangucii coram Rege de Christo perorantem, videt per plateas & Vicos Dei leges promulgantem, videt ab Xaca atq; Amida quam plurimos (tria capitum millia) avertentem. Videt Banduensi in Academia Bonziorum primipilo ad Christi partes traducto, triumphantem. Videt denique Te Bungensis aula solenni Lusitanorum



*sitanorum apparatu & favore regio, tum archi-
bonzio Faciandono sapius confuso, tum non minus
auctoritate Saquaygirani conversi, ac publice in
foro veritatem professi, palatinorumque aliorum
baptismo, conciliatis nomini Christiano Amangucii
Bungique Regibus; tum demum explosis Ficarandoni
pythagorici offuciis, & conjuratis aliorum
elusis insidiis gloriosum. O vere de Te, Xaveri, &
nomine Tuo canimus: Loquebar de testimoniis
tuis in conspectu Regum, & non confundebar.
Magnanimo quoque nos imbue Zelo religionis! fac
nos, filiorum Tuorum, fratrum nostrorum socios in
grandi grandium piscium captura!*

Decem S. Xaverii aut sodales, aut
successores, Orientalium magnatum
conversione illustres.

Primas debeo, ô Xaveri,

Hieronimo Xaverio nepoti Tuo,

I. Qui magnū Mogoris Imperatorē flectens,
Ejus nepotes quatuor Christo adjungit.

Tum venit in censum ante alios,
suavissimus Gaspar Tuus Barzæus,

II. Regiarum stirpium fœminam non unam
Regi Christo desponsans.

Adducit hîc ad Te, ô Magne Apostole,

Siami & Manadis, totis cum populis, Reges
 III. P. Jacobus Magallianes.

Regem reginamq; Insulæ Sanquini
 cum aula omni, ac duos aliunde Reges

IV. Adducit P. Mascarenia.

V. Sistit Baciani Regē, cum Natione integra,
 P. Antonius Vazius.

Regem Mocumbre sistit P. Balthasar Bareira

VI. Unà cum Toræ Rege,

Sene quinquaginta supra centum annorum;

VII. Regem Tibeti, cum Regina,
 P. Antonius Andrada.

VIII. P. Eredia Maldivarum Tyrannum.

Variarum Provinciarum Reges ternos

IX. P. Emmanuel Diazius.

Quin & ipsum vastissimæ Chinæ Imperatorē

X. Constantinum cognominatum,

Cum Anna Matre & Coniuge Helena,

filiōq; unico, sistit Tuus

Nomine & Zelo, noster natione,

Xaverius Köffler.

Et quid Bartholomæum Omuræ Regem,

cum Regibus Japoniæ undecim?

quid Joannem Faramondum

Totius Japoniæ Imperatoris consobrinum,

Lentis dein vivum ignibus, post digitorum

omnium

omnium in manibus pedibusq; truncationē,
crematum pro Christo?

Quid Franciscum & Matthæum
Regis Arimæ fratres, pro fide Christi,
mortem passos?

Quid tot Principes, Duces, proceres;
Melchioris Carneri, Sebastiani Moralis,
Ludovici Cerqueiræ, Petri Martinez
Japoniæ Tuæ ex Societate Jesu Episcoporum,
aliorumq; operâ
Ecclesiæ adscriptos?

Quid cooperatores Tuos, Cyprianos, Lancel-
lotos Gagos, Perezios, Nunnios, Beiras
Consalvos, Fernandios, Turrianos, Camertes,
& in posteritate prope innumeros numerabo?
ô fœcundissime genuinæ sobolis Pater
Xaveri.

Annus decimus.

Christi MDLI. in MDLII.

Xaverii LIV. in LV.

AD metam decennalis Te agon ducit, in fati-
gabilis athleta, cum Tu ordiri primum no-
vos cursus satagis: ad debellandos enim penitus
Iapo-

*Iaponas, sub Christi jugum mittendi prius vide-
 bantur Tibi Sina, ad quos toto proinde animi rap-
 tus impetu, in Indiam regrederis, & Tuam qua
 veheris navem ab extremo discrimine liberans
 & divulsam, duobus simul locis conspectus, onera-
 ria restituens. Tum & Sinarum portus Vaticina-
 tionibus, factis Vellio aliisque syncapuranum fre-
 tum scriptis quaque versum epistolis, & Mala-
 cam adventu expectatissimo facis insignes. Mox
 ocyssimè (ut in fine motus est velocior) Goam ad-
 volas, hinc cumulantur dulcissimi illi reducis patris
 complexus, hinc Tua moribundum domesticum sa-
 nantis caritas, hinc raptus illi, celo pene suprâ quam
 ferri potest sese infundente, domestico in horto ad-
 mirandi, ostenderunt Te potius quàm tenuerunt,
 quando mox irrequieto actus Zelo, constitutis
 raptim, sed prudenter, omnibus pro India, surro-
 gato Tibi in vicariam praefecturam (cui in disces-
 su ad pedes accidens, non Te minus quam socios per
 Orientem omnes subdis) Gaspare Barzæo, inter
 omnium lacrymas solas ipse latus atq; alacer, Sini-
 caminis expeditionem. Et certe melius est onera-
 ria Tua à Te, quam illi quondam, qua Casarem for-
 tunamque ejus vehebat, cum injecta fluctibus re-
 liquiarum thecâ tempestatem sedas. At Mala-
 cam appulsus in portu Votorum facis naufragium,
 dum*



dum iis in Sinas incitatis obsistentem habes Typho-
ne Sinico infestiorum praefectum Alphonsum Athai-
dem, avaritiâ invidiâque abreptum : non frangi-
tur tamen pertinax Tuus in expeditionem hanc
animus. Quare contumace praefecto Sacris ex-
cluso, excussaque in Malacam pedum apostolico-
rum pulvere, Syncapuram, ac dein ad desertam
silvestromque Sancianum contendis, in omnem
Claustra Sinensia perrumpendi opportunitatem
advigilaturus. O Sanciane ! ô insula inculta, sed
modo fortunatarum omnium fortunatissima ! Tu
meum recipis aspera inter tesqua & angustos sco-
pulos Xaverium, qui cor orbe majus gerit : Tu
exili in casa sacris operantem claudis : Tu vides
famulantem infirmis per naves & mapalia ; Tu
mendicato & tenui victitantem alis ; Tu in publi-
co Saracenorum baptismo altiorum omnibus, atq̃
à terra porrectum in sublime miraris : Tu conter-
minum tibi pelagus ab infestissimo typhone, ejus
adventu quietum obstupescis : Tu Cantonem me-
ditantis pene temeraria audis consilia, vides Sini-
corum carcerum, compedum, ensiumque siti exar-
descendentem. Tu denique Chinarum languentem
amore, fatiscentem frustratione excipis, & ab in-
terprete ac vectore, amicis atque hospite, in egen-
tissimo tuguriolo desertum, non tam februum
quam

quam caelestium desideriorum astu excoctum, sacra inter deliria, & suavissimos crucifixi Iesu sui complexus, exspirantem è mortalitatis, Apostolicique Decennii portu in beatissimam transmittis immortalitatem. ô Insula! ô portus! ô Xaveri! ô Pater mi! currus Israël & aurigae ejus! non totus Tuus eat in caelum spiritus, aliquid Filii, Clientes, ser-vuli participemus!

In te vero beatum Sanciani littus, quidni columnam Herculeam perenniorem defigo in sculpòq;

X.

Xaveri, vel in nomine Decenniū consecrans.

Non plus ultra,
Apostolice Viator Xaveri.
imò plus ultra.

Non plus ultra in terris:
exactum decennium est.

Plus ultra ad caelum!
Plus ultra etiam in terris;
sed è caelo.

Hic apostolici Tui Decennii meta,
non meta apostolicæ successionis.

Hic porta est, quam Tu in polum deportat⁹,
post annos ter decem
aperis Ruggeriis Tuis ac Ricciis:

Tum

Tum per tot lustrorum decades
 Schallii ac Verbieſii,
 quam plus ultra,
 ſupra ſæculum,
 dilatas,
 Incremento & annorum, & operarum,
 & manipulorum,
 in plura ſæcula ad Tuas è cælo preces,
 plus ultra
 propagando.
 Apoſtolici Decennii labores
 Decem prærogativis à morte
 maximè in ſacro corpore
 Coronati.
 Honestavit illum in laboribus Sap. 10.
 & complevit labores illius.
 Curſum conſumãſti decennialẽ,
 Per terras & Maria;
 Cum tot Barbaris & Idolis,
 cum orco toties bonum certamen
 certãſti,
 fidem non ſervãſti modò,
 Sed & propagãſti in immenſum.
 In reliquo reposita eſt Tibi
 corona Juſtitix,
 quam invicto animo reddidit juſtus Judex
arbiter



arbiter meritorum,

Et suo socium laboris Apostolici
Corpus honore coronans.

I. Quando illud & post diutinas mordacis
calcis,

tempestatum, imo annorum injurias,
servat integrum atq; incorruptum;
&

II Contra luem non unam, neque semel
potens ostendit;

III. Et in mare ac fluctus facit dominari.
Brachium etiam illud

IV. Tot millibus baptizatis salutare
Europæ vult esse beneficium,

Imo digitum unum qui viam salutis

V. Tot millionibus monstravit,
& vel digiti particulam

Dei digitum esse demonstrat.

Quid dicemus de thaumaturgis Tuis,
ô Dive,

VI. Imaginibus, ut futurorum præfagis,
sic præsentium miserentibus malorum?

VII. Quid de Tuâ tritis manu coronis
precatoriis?

Tuo purpuratis cruore flagris?

VIII. De nō deficientib⁹ ad icones Tuas cereis?

IX. Aqua

IX. Aquâ olei vicem in luminis materiam
 subeunte, quid dicemus?

fileantur infinita; omnia prodigiosus.

X. Sympathiaci Tui crucifixi

(arcis Xaveriæ portenti)

Cruor confignet.

Decem per Orientem Occidentemq; loca

Xaverianis prodigiis celebriora.

India mittit opes, sed & servat

pretiosissimas:

I. Dum nostrum servat *Goæ Xaverium*,

in corpore adhuc integro viventem,

ad quem

Tot Barbarorum etiam, ac Gentilium

Et Mahometanorum vota peregrinationesq;

excipit.

II. In communionem Tumuli, licet inanis,

venit non inani fructu *Malaca*,

& vindicem & patrem experta

Franciscum.

III. Memoria etiam salutaris est laboranti

Manaria, & ædicula non grandis,

IV. Grande *Colala* decus ac præsidium.

Neque tam potest esse avarus Oriens

quin de Xaverio communicet

Occidenti particulam,

C

à quo

à quo Totum accepit.

V. *Brachium* itaque miraculorum opifex,
Baptismatum administrum,
Orientis cum Occidente paranympum,
Romæ concedit

Brachium ejus, qui Romanæ Societati suæ
juraverat :

si oblitus fuero Tui, Societas Jesu,
oblivioni detur dextera mea.

Dextera, quæ nunc
gratissima vivit memoria & veneratione,
ac per Europam omnem protensa,
confirmat,

non solis longas regibus esse manus;
sed Dei amicis longiores :

Hanc enim

VI. Medica sentit *Bononia*
Hospitii veteris *Francisco* præbiti memorem;
Thaumaturgum *Potamus* (tur.

VII. Jonico Tyrrhenóq; mari media venera-
Nimirum convenit huc vaticinium :

Et ponam in mari manum ejus. Psal. 88.

Hanc auxiliarem accipit, Tutelarem legit
revocata in vitam è funeribus,

VIII. Urbs plane nova,
Neapolis

Hanc



Hanc humanam sibi deosculatur
 humanissimum Belgium,
 IX. Et in eo cum primis
Mechlinia.

Hanc propitiam adorat magnis, à non magna
 manûs Xaverianæ parte
 X. Obstricta beneficiis *Padera*
 & in ea

Princeps Xaverianus
Ferdinandus Fürstenbergius
 à mortis confinio non semel
 manu eductus *Xaverii*:

Et Apostolicas Apostolo *Xaverio* plures denis
 fundans missiones,
 & insignem insignibus beneficiis
 à fundamentis statuens Basilicam,
 Immortale utrumq;
 non morituræ in Divum
 religionis
 Monumentum.

His aliud addere
 inopi mihi Tuo Clienti non datur,
 ô maxime Pater;
 quàm illam votorum *Decadem*
 in animi grati adytis,
 pro monumento perenni,

n;
 ir.
 a-
 88.
 t
 ac

constituturam.

- I. Quot in utroq; orbe regna sūt & provinciæ,
quò nomen Tuum pertigit ;
- II. Quot in provinciis urbes, & oppida ;
- III. Quot in oppidis templa ;
- IV. Quot in templis aræ ;
- V. Quot statuæ & icones in aris ;
- VI. Quot litata ad Icones sacrificia,
vota, lacrymæ, suspiria ;
- VII. Quot relicta è votis beneficia ;
- VIII. Quot suspensa post beneficia anathe-
quot devota Tibi in terris, (mata
- IX. Quot obstricta in cælis
corda ;
- X. Quot cordium affectus, in æternū & ultra :
Tot affectibus, votis, desideriiis,
Hæc omnia ego
Omnium infimus, indignissimus, ingratiſſim⁹
in infinitum multiplicata,
cum possibilibus corporis, cordis, animi mei
votis, affectibus, studiis, conatibus,
in æternum futuris,
in infinitum multiplicandis,
ex nunc (voto nunquam tollendo)
offero, dico, immolo :
post obitum

(quem

(quem felicem à Te spero)
in beata æternitate
ad pedes Tuos Apostolicos
repræsentaturus
Tuus, Tuus Tuus
O mi Patrone! mi Magister!
mi Pater!

sancte Franciscæ Xaveri!

Atq; ut illud
ratum, & sanctum habeas,

Deus O. M.

Te ego per omnes Decennii illius

- I. Xaverio-apostolici labores;
- II. Per ærumnas & pericula;
- III. Per consolationes, affectus, suspiria;
- IV. Per omnes in tot itineribus passus;
- V. Omnia in æquoribus milliaria;
- VI. Per sudoris omnis, lacrymarum, ac san-
Xaveriani guttas; (guinis
- VII. Per tot baptismo ab ipso
transcriptos cælo parvulos;
- VIII. Per tot adulatorum Tibi conciliatorũ
capita;
- IX. Per immensa infinities plus & agendi
& patiendi desideria;

per

C 5

Omnium

✠ (38) ✠

Omnium deniq; Xaverii decennio
X. Succedentium apostolicorum
hominum

Conatus, labores, fructus,
Perpersiones, sanguinem
oro atq; obtestor.

Amen. amen.

CULTUS DECENDIALIS
S. FRANCISCI
XAVERII.

CUM observatum esset, tum annos, quibus
D. XAVERIUS in excolendis Indiarum gen-
tibus laboravit, fuisse omnino decem; tum diem Ipsi-
us obitus, qui erat 2. Decembr. Anno 1552. fuisse
feriam sextam; tum etiam supremo vitæ Ipsi-
us Crucifixi imaginem in domo paternâ quot diebus
Veneris usque ad diem obitus sanguinem sudasse;
nata est, non solum in Italia ac Regno Neapolitano;
sed etiam in Germania aliisque locis, magno multo-
rum fructu & animæ solatio usurpata devotio,
decem ordine dies Veneris honori ipsius ce-
lebres obeundi. Si quem ergo vel necessitas, vel gra-
tiæ cuiuspiam singularis per intercessionem S. Xave-
rii obtinendæ desiderium ad ejusmodi devotionem
moveat, ei pias suggerimus preces, præter alia virtu-
tum exercitia, & Sacramentorum frequentationem
fructuosè usurpandas.

I. Ante aram vel Imaginem Sancti recita decies
Pater & Ave, & decies Gloria Patri &c. In memo-
riam annorum decem, quos pro salute proximi In-
dijs S. Xaverius impendit. Factaq; intentione oran-
di pro omnibus, Sancti hujus honorem fideliter pro-
curantibus; vel pro Indiarum conversione,

D

Oratio

Oratio Ecclesie de S. Xaverio.

Ant. Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multate constituam; intra in gaudium Domini tui. *ψ.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, *R.* Et ostendit illi Regnum Dei.

O R E M U S.


DEUS qui Indiarum Gentes Beati Francisci prædicatione, & miraculis Ecclesie tuæ aggregare voluisti; concede propitius; ut cujus gloriosa merita veneramus, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

II. Ad memoriam annorum ætatis S. Xaverij, Rosarium s. decadum sic contexere poteris: ut singulæ constent hæc invocatione: *Sancte Francisce Xaveri ora pro me:* decies repetitâ; Singulas autem distinguat sequens precatiuncula: *S. Francisce Xaveri rogo te amore Dei, impetra mihi verum Dei amorem, & inter frequentes actus amoris Dei mortem felicem.*

III. Vel ex sequentibus quippiam pro devotione tuâ orabis.

OFFICIUM S. XAVERII.
I N V O C A T I O.

F Rancisce Mundi Gloria,	Quo Tu flagrabas unice
Orbisq; Lumen alterum;	Augere Christi gloriam.
Ignatio quem proximum	Fac, ut medullas pectorum
Gradu secundo ponimus.	Cœlestis intret gratia,
Audi clientum carmina,	Quæ nos supernis sedibus
Quæ mentem gratâ pangimus:	Terris solutos asserat.
Et ora Te canentium	Sit Trinitati gloria
Aurâ favoris subleva.	Quæ per suum Xaverium
Mens incalescat Spiritu,	Utrumque Mundi cardinem
Illo incitato Spiritu,	Noxo replevit lumine Amen.



AD MATUTINUM.

Amor Nominis Jesu accendat præcordia nostra.
V. Domine labia mea aperies. R. Et os meum annuntiabit
laudem tuam. V. Deus in adjutorium meum intende.
R. Domine ad adjuvandum me festina. Gloria patri, &c.

H Y M N U S.

In flore vitæ Xavier Ignatianis æstuans
Spretis honorum fascibus, Totus liquefcit ignibus.
Spebusque stirpis Patriæ, O vita Jesu cordium!
Ad cœli amores vertitur. Fac ut caduca deferens,
Sacri calore Spiritus Te, sorte quam concesseris,
Deo parata victima, Mea mens requirat unicum!

Ant. Egredere de domo tuâ, & de cognatione tuâ,
& de domo patris tui, & veni in terram quam mon-
stravero Tibi. *Gen. 12:*

ψ. Inveni filium Jesse, virum secundum cor meum.
R. Qui faciet omnes voluntates meas. *Act. 13.*

O R E M U S.

Deus, qui Evangelium Regni tui per barbaras
Gentes, & reconditas Nationes S. Francisci
tui Xaverij prædicatione seminasti, & ejus sanctita-
tem innumeris hæcenus miraculi decorasti; con-
cede quæsumus, ut cujus memoriam agimus, etiam
virtutes imitemur. Per Dominum nostrum, &c.

A D L A U D E S.

Amor Nominis Jesu &c. Deus in adjutorium &c.

H Y M N U S.

Exegit omnem laudibus In ore Deus infederat :
Amoribusque Numinis, In corde Jesus vixerat.
Inter secunda & aspera, Mea Deus, O felicitas !
Vitæ diem Xaverius, Fac, ut (quod olim gestio,
Seu mane sol assurgeret; Amare te perenniter)
Seu conderetur æquore; Dum vivo totus ordiar.

Ant. Quid mihi est in cœlo, & à Te quid volui super
terram? Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æter-
num. *Pf. 72.*

ψ. Laudabit usque ad mortem. R. Anima mea
Dominum. *Eccl. 51.* Oratio ut supra. &c.

A D P R I M A M.

Amor Nominis Jēlu &c. Deus in adjutorium &c.
H Y M N U S.

M isertus orbis ultimi	Apostolus deperditæ
Xaverius caliginem.	Iterum futurus Indiæ.
Ab Occidentis finibus	Jesu salus mortalium!
Emergit instar Cynthij.	Ita fac a mare proximum,
Deum ferebat pectore,	Ut ab hoc amore Curia
Feris docendum Gentibus,	Adaugeatur Cœlitum!

Antiph. Ite Angeli veloces ad Gentem exspe-
ctantem, & conculcatam, cujus diruperunt flumina
terram. *Isaia 18.*

ψ. Dedi te in lucem gentium. R. Ut sis salus mea
usque ad extremum terræ. *Isaia 49.*

A D T E R T I A M.

Amor Nominis &c. Deus in adjutorium, &c.
H Y M N U S.

M iraculorum gloriâ	Cujuslibet solatijs
Apostolatûs infulis	Se dedicat XAVERIUS.
Et gentium præconijs	O qui superba conteris
Ubique magnus Xavier.	Jesu humilium sublimitas!
Suo tamen suffragio	Tuo ex amore despici
Postremus unus omnium	Fac ut frequenter expetam!

Antiph. Ante Dominum, qui elegit me, vilior
fiam, plusquam factus sum, & ero humilis in oculis
meis, & gloriosior apparebo. *2. Reg. 6.*

ψ. Omnibus omnia factus sum.

R. Ut omnes facerem salvos. *1. Cor. 19.*

AD

AD SEXTAM.

Amor Nominis Jesu &c. Deus in adjutorium &c.

HYMNUS.

O Virginem XAVERIUM! Intacta semper lipsana
 Et sanguinis caloribus, XAVERII contingere.
 Erroribusque Gentium, O Diva JESU puritas!
 Et somnijs superstitem! O Matre nata Virgine!
 Hinc castitas post funera Da labe sine, me consequi
 Vetuit malam putredinem Quâ ductor Agnus iveris.

Ant. O quam pulchra est casta generatio cum
 claritate, immortalis est enim memoria illius; quo-
 niam apud Deum nota est & apud homines. *Sap. 4.*
 ψ. Hi sequuntur Agnum quocumque jert.

℞. Sine macula enim sunt ante thronū Dei. *Apo. 14.*

AD NONAM.

Amor Nominis Jesu &c. Deus in adjutorium &c.

HYMNUS.

Vastæ remotas Indiæ Volente jussis Numine,
 Plagas obit Xaverius, Talis resorbet orbitam.
 Lojola sed vel literâ Exordientem Nominis
 Si jusseris; revertitur. Agnosco JESU literam:
 Nec Sol, ut ut promptissim^o, Opto per hanc cum legibus
 Vel stare, vel recurrere Dei placita decurrere!

Ant. Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne di-
 mittas legem Matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo,
 & torques collo tuo. *Prov. 1.*

ψ. In capite libri scriptum est de me.

℞. Ut facerem voluntatem tuam Deus meus. *Pf. 39.*

AD VESPERAS.

Amor Nominis Jesu &c. Deus in adjutorium, &c.

D3

HYMNUS.

H Y M N U S.

CEcidère monstra Tartari, Pulsis tot orbe pestibus.
 Idola pulsa Gentium, Franciscæ Numen evocat.
 Fide instituti Japones, Jesu laborum præmium,
 Chinæ reclusa littora, Mercede major maximâ
 Vicena quin & funera Conando quidquid gesserô :
 Et quinque vitæ reddita : Te Te in coronam postulo ,

Ant. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam
 eum, & glorificabo eum: longitudine dierum reple-
 to eum, & ostendam illi salutare meum. *Psalm. 90.*

ψ. Nimis honorati sunt amici tui Deus.

℞. Nimis confortatus est principatus eorum. *Ps 138.*

A D C O M P L E T O R I U M.

Amor Nominis JE su &c.

ψ. Converte nos Deus salutaris noster.

℞. Et averte iram tuam à nobis.

Deus in adjutorium, &c.

H Y M N U S:

FRanciscæ jam cælestium O perditorum temporum
 Divis recepte sedibus, Franciscæ spes amplissima,
 Dignare te colentium Orbis Pater novissimi,
 Pias adesse mentibus. Patrone, lux, Apostole.

Omnem per orbem gloriæ. Salve! tuoque lumine
 Tuæ eriguntur symbola, Tuos serena supplices:
 Per te impetratæ gratiæ. Fac mundus omnis ardeat
 Ubique stant insignia, Divini amoris Numine.

Eous, & Septentrio, Fides ut una Gentium
 Meridies, & Occidens, Fines inundet omnium :
 Et iste, & ille plurimis Ut una pax cælestium
 Tibi calet clientibus. Cor jungat & terrestrium,

Ant. Hic est fratrum amator, & populi Israël, qui multum or-
 rat pro populo, & universa sancta Civitate Mach, z, cap. 15,

V. Ora pro nobis S. Franciscæ Xaveri,

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi,

Oratio ut supra. &c.

L I T A.



LITANIÆ

AD S. XAVERIUM.

R. D. de Villaroël Episcopi S. Jacobi Chilensis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria,

Sancta Dei Genitrix,

Sancta Virgo Virginum,

Sancte Pater Ignati,

Sancte Franciscæ Xaveri, dignissime, & dilectissime Fili S. P. Ignatij,

S. Franciscæ Xaveri Indiarum Apostole,

S. Franciscæ Xaveri Evangelizans pacem,

S. Franciscæ Xaveri Evangelizans bona,

Vas electionis portans nomen JESU coram Gentibus,

Vas redundans divinæ Charitatis,

Firmamentum orientis Ecclesiæ,

Propugnator Fidei,

Impugnator infidelitatis,

Prædicator Evangelicæ veritatis,

Idolorum Destructor,

Electum à Patre æterno instrumentum propagandæ divinæ gloriæ,

Ora pro nobis.

Fidelis imitator, & Socie Jesu Christi Filij Dei,
 Tuba resonans S. Spiritus,
 Columna Templi Dei,
 Lux Paganorum,
 Magister Credentium,
 Speculum veræ pietatis,
 Dux in via virtutum, & Christianæ perfectionis
 Exemplar Apostolici Spiritus, & sanctitatis,
 Lumen cæcorum,
 Pes claudorum,
 Auxiliator naufragantium,
 Salus ægrotantium,
 Fugator dæmonum,
 Suscitator mortuorum,
 Cujus potestati obediunt mare, & tempestates,
 Cujus imperia venerantur universa elementa,
 Prodigiorum Thaumaturge,
 Refugium miserorum,
 Gaudium afflictorum,
 Orientis splendor,
 Pignus resurrectionis ad vitã gratiæ, & gloriæ,
 Tabernaculum incorruptionis,
 Ærarium divini amoris,
 Gloria Societatis Jesu,
 Legate Apostolicæ Romanæ Sedis,
 Pauperrime Xaveri,
 Castissime Xaveri,
 Obedientissime Xaveri,
 Humillime Xaveri,

Ora pro nobis.

Crucis

Crucis Christi, ac laborum pro Christo cupi-
 diffime Xaveri,
 In salutem proximi vigilantissime Xaveri,
 Suavissime Xaveri,
 Gloriosissime Xaveri,
 Animarum, & divini honoris zelator arden-
 Angele moribus & vitâ, (tissime,
 Patriarcha affectu, & studio curandi populum
 Propheta dono, & spiritu, (Dei,
 Apostole dignitate, & merito,
 Doctor gentium potens in multifario sermo-
 ne, & opere,
 Confessor virtute, & vitæ professione,
 Virgo animo, & corpore,
 In quo uno Sanctorum omnium merita ex di-
 dina benignitate veneramur, ora pro nobis,
 Agnus Dei, &c.
 Christe audi nos, Christe exaudi nos,
 Kyrie eleison, &c. *Pater noster, &c.*
 ✠. Ora pro nobis S. Franciscæ Xaveri.
 ✠. Ut digni efficiamur promissionib' Christi.

Ora pro nobis.

O R E M U S.

DEus, qui glorificantes te glorificas, & in Sancto-
 rum honoribus honoraris; concede propitius;
 ut, qui B. Francisci Xaverij Confessoris tui gloriosa
 merita colimus, ejus patrocinia sentiamus. Per
 Dominum nostrum, &c.

LITANIÆ BREVIORÆ.
DE S. FRANCISCO XAVERIO.

Ex solis Summorum Pontificum oraculis.

- K**Yrie eleison. Christe eleison, &c.
 S. Franciscæ Xaveri, ora pro nobis.
 Apostolicæ S. Romanæ Sedis Nunciæ, ora pro nobis,
 (*Paulus III. A. 1540.*)
 S. Xaveri multis, & eximiis virtutum, gratiarum, &
 miraculorum donis à Domino illustrate, ora pro
 nobis, (*Paulus V. A. 1619.*)
 S. Xaveri Vir Cœlitibus magis similis, quàm
 mortalibus, ora pro nobis.
 Christiani imperij propugnator, ora pro nob.
 Qui nihil minus à magnis fecisti Apostolis,
 ora pro nobis.
 Qui plures submisisti Ecclesiæ, quàm suo Ro-
 mani. Græcique subdiderint imperio, ora
 pro nobis.
 Cujus ingenti animo angustus orbis terrarum fuit,
 ora pro nobis, (*Greg. XV. A. 1622.*)
 Gloria sanctitatis, & meritorum splendore
 præcipuè emicans, ora pro nobis.
 Novarum Gentium Apostolus unanimi toti-
 us Christiani orbis consensu merito appel-
 late, ora pro nobis.
 Qui pro animarum salute innumeros, maxi-
 mosque labores, atque ærumnas perpeffus,
 iugentia terrâ marique pericula subivisti,
 ora pro nobis. Quem

Greg. XV. A. 1622.

Urbanus XIII. A. 1623.

Quem Deus adeò magnificavit, ut nomen tuum
 honorabile sit apud omnes gentes, ora pro nobis.
 Vere Sanctus, & Electus DEI, ora pro nobis.
 Mortuorum suscitatione, & Prophetiæ gratia toto
 orbe conspicue, ora pro nobis. (*Alexand. VII.*
A. 1663.)

Gravissimis pro Fide Catholica laboribus consum-
 mate, intercede pro nobis: (*Alexand. VII.*
A. 1663. In Martyrologio Romano.)

*Oratio affectuosa ad S. Franciscum Xaverium, in
 quacunque corporis, aut animi afflictione.*

SANCTissime Pater *Francisce Xaveri*, qui ex ore in-
 fantium & lactentium perficis laudes tuas; hu-
 millimè obsecro humanissimam charitatem tuam per
 sanguinem JESU pretiosissimum, & per immacula-
 tam Conceptionem sanctissimæ Dominæ nostræ
 Mariæ, ut mihi ab infinita Dei bonitate; si me in hac
 mea afflictione diutius permanere expedit, impetres;
 ut eam ex manu Dei susceptam, patientissimè perfe-
 ram in honorem patientis Christi: sin me summa
 Dei bonitas eâ liberum velit: Protector mi prodi-
 giosissime, excita potentiam tuam, & veni, ut me ab
 afflictione hac mea liberares in manu forti, & in bra-
 chio tuo excelso: ut nulli humano auxilio, sed tuis
 apud Jesum & Mariam intercessionibus mihi impe-
 tratam debeam ejusdem liberationem. Ecce Pater
 mi humanissime, ante te omne desiderium meum, &
 gemitus meus à te non est absconditus, Amen.

Orationes

*Orationes et pij affectus S. Xaverij.**Oratio S. Xaverij pro conversione infidelium
& peccatorum.*

ÆTerne rerum omnium effector Deus, memento ab te animas Infidelium, Hæreticorum, & peccatorum procreatas, easque ad imaginem & similitudinem tuam conditas. Ecce Domine in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento Jesum Filium tuum, pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. Noli quæso Domine, ultra permittere, ut Filius tuus ab infidelibus contemnatur; sed precibus Sanctorum Virorum, & Ecclesiæ sanctissimi Filij tui Sponsæ, placatus recordare misericordiæ tuæ; & oblitus idololatriæ, & infidelitatis eorū, effice, ut ipsi quoq; agnoscant aliquando, quem misisti Dominum Jesum Christum, qui est salus vita & resurrectio nostra, per quem salvati, & liberati sumus; cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum, Amen.

*Tursel. lib. 5. c. 2.**Oratio S. Xaverij pro persecutoribus.*

Domine Jesu Christe, Deus cordis mei, per acerbissimos mortis tuæ cruciatus obtestor te, ut intuearis tuas ipse cicatrices & vulnera, quæ Patri suo assiduè pro nobis exhibes, eaque salubria esse velis omnibus persecutoribus nostris, ut resipiscant.

E I U S.

E I U S D E M A F F E C T U S.

Translatus ex autographo:

O Deus! ego amo Te,
 Nec amo Te, ut salves me:
 Aut, quia non amantes Te
 Æterno punis igne,
 Tu, Tu, mi JESU, totum me,
 Amplexus es in Cruce:
 Tulisti Clavos, Lanceam:
 Multamque ignominiam,
 Innumeros dolores,
 Sudores, & angores:
 Ac mortem. Et hæc propter me:
 Ac pro me peccatore!
 Cur igitur non amem Te,
 O JESU amantissime!
 Non, ut in cælo salves me:
 Aut ne æternùm damnes me:
 Nec præmij ullius spe,
 Sed sicut Tu amasti me:
 Sic amo, & amabo Te,
 Solum, quia Rex meus es:
 Et solum, quia Deus es. Amen.

*Aspirationes S. Francisci Xaverii
 interdum familiares.*

Jesu Christe, Fili Dei vivi, da hoc nobis, ut te super
 omnia diligamus.

Da

Da nobis Domine sanctissimæ voluntatis tuæ perfectè semper agnoscendæ, & adimplendæ gratiam.

Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Quis mihi det, ut moriar pro te, & cognoscant te omnes fines terræ!

Amplius! Domine! *cruciari amplius!*

DEUS cordis mei, & pars mea Deus in æternum.
Satis est Domine, Te si habeam, satis est.

In rebus dubijs. vel tristi eventu.

O JESU! amor animæ meæ, per quinque vulnera in cruce pro nobis accepta obsecro fer opem.

Manè orabat.

Appende Domine in statera peccata mea cum meritis mortis & Passionis Domini mei JESU Christi. Et non cum meritis meis, quæ nulla sunt: & sic liber ero à potestate inimici; & ibo fruiturus in æternum gloriâ Paradisi, Amen. *Lib. 2. Nov. Ep. 2.*

Tempore Sacrificii Missæ.

ROGO Te, ô misericors Domine Jesu Christe, per virtutè sanctæ Passionis ac mortis tuæ, quam in sacratissima illa Cruce perpeffus es, dignare parcere peccatis meis: sicut in illa pendens latroni percisti, ô benigne Domine: & da mihi contra inimicos animæ meæ victoriam; ac omnes trahe, ut peccata sua verè agnoscant & defleant. Amen.

Actus

*Actus Contritionis, quem S. Franciscus Xaverius
docebat in Catechismis, & frequentandum
ajebat.*

AMo Te, mi Deus, super omnia, ex toto corde
meo. Pœnitet me, quòd te offenderim; cùm
sis, qui es omni laude, veneratione, obsequio dignif-
simus. Propter summum amorem, quem Tibi de-
beo, & quia Te longè pluris, quàm quidvis (quan-
tumlibet magnum) æstimo; firmissimè statuo, nun-
quam me acturum, quod offendere possit Tuam di-
vinam voluntatem, & me in periculum conjiciat ex-
cidendi à Tua sancta gratia. Amen. *Lib. 2. Nov. Ep. 1.*

Oratio Sancti pro conversione peccatoris.

TE ego Jesu Christe, Deus cordis mei, per acer-
bissimos tuæ necis cruciatus obsecro obtestor-
que, ut intuearis ipse tuas cicatrices, quas æterno
Patri assiduè pro nobis ostentas, easq; salubres etiam
misero illi esse velis, ut resipiscat. *Tursel. l. 5. c. 6.*

Ad B. Virginem MARIAM.

O Domina mea, S. MARIA, Spes Christianorum
Regina Angelorum, omniumque Sanctorum
atque Sanctarum; Tibi & istis omnibus Domina,
commendo me nunc pro hora mortis meæ: ut me
custodias à mundo, carne & dæmone, qui sunt inimici
mei, eonanturq; animam meam rapere in infernum.

Oro &

Oro & obsecro te, Domina mea S. M A R I A
intercede pro me apud tuum benedictum Filium
J E S U M Christum; & impetra, ut mihi det hodie
ac toto tempore vitæ meæ gratiam perfectè obser-
vandi decem præcepta. *Lib. 1. Nov. Ep. 2.*

Ad Angelum Custodem.

ROgo te, Angele mi benedicte, cujus providen-
tiæ sum commissus, ut semper mihi adsis ope tuâ.
Perfer ad benignas dei aures preces meas : ut mihi
det veram contritionem de omnibus peccatis meis,
& gratiam ad bene operandum perseveranter. Aspel-
le à me tentationes Satanæ, ne patere, ut in me locum
habeat ullum, ulla mistura malitiæ. Si quando me vi-
des in itinere deerrare, reduc me ad dominum meum
per semitas justitiæ : & afflictio impetra præsens à
Deo auxilium. Ne me unquam desere; sed juva, re-
ge, defende pugnantem; ut ope tua protegar die ac
nocte. Rogo etiam ô Angele mi Custos, ne me de-
feras in agone supremo; neque sinas me terreri à dæ-
mone, vel in desperationem agi præcipitem : sed ju-
va, ut perveniam ad felicem visionem Dei Domini no-
stri; ubi illo fruam unâ tecum, ac unâ cum Beatissima
& felicissima Virgine Maria, Matre dei, & unâ
cum Sanctis omnibus. *Mss. S. Xav. Goa servata.*

F I N I S,

